POËMA LATINUM
AD COMMUNEM TOTIUS HISPANIÆ PACEM PRÆCIPUE CELEBRANDAM,
A SEBASTIANO SANCHEZ GONZALEZ
UNIUS CATHEDRÆ LATINITATIS, ET RHETORICÆ MODERATÔRE LYRICIS METRIS ELABORATUM.

O D E.

Gentis humanæ Pater, ac Redemptor,
Obsecro, nostram minimè disertam
Hanc regas linguam, queat ut placêre
Læta canendo.

Iam, boni Cives, meritò valemus
Esse tranquillis animisque lætis,
Mars quòd è nostris voluit cruentus
Cédere campis.

Triste nos inter, rabidumque bellum
Desiit; cessent lachrymæ, timorque;
Clara lux, pulsis tenebris, refulget
Pacis amœnæ.

Alma Pax tandem rediit cupita,
Flórida, et mitis, facie decorâ,
Quæ poplis præbet plácidam quietem,
Ac bona multa.

Una Pax cunctis melior triumphis.
Hac vigent artes, facilè foventur;
Hac, metu pergit pósito viator,
Nautaque solers.

Ipsa securos pátitur colonos
Utili, at duro dare se labori,
Arbores foetus, segetésque pingues
Fúndere terram.

Pace tranquillâ pecudum magister
Pascit has lætus, módico labôre,
Nec timet diras pávidus rapinas
Hostis acerbi.

Gaudeant parvi, iúvenes, virique,
Gaudeant matres, subitò videntes
Liberos tutos rapido nefandi
Túrbine belli.

Pacis ob pignus saliant puellæ,
Cantor effundat módulos sonoros,
Personet chordis fídicen, poëtæ
Cármina dicant.

Bæticæ Nymphæ, fáciles, venustæ,
Pax adest dulcis: celebrâre oportet:
Véstibus glaucis choreas agentes
Lúdite lymphis.

Vos quoque Hispanæ vólucres loquaces,
Béllico nullo strépitu sonante,
Pacis adventu, sólitos frequenter
Prómite cantus.

Máximas grates hilares agamus
Nunc Deo, summâ bonitate Patri,
Quòd sumus pacem précibus serenam
Nuper adepti.

Hoste devicto, procul ac repulso,
Quisque gratemur Dóminæ Isabellæ,
Sceptra nunc regni mánibus tenenti
Nóbilis hujus:

Sana quæ vivat tria sæcla saltem,
Læta quæ fortes regat ipsa Ibéros,
Hosce concordes, plácidos videndo,
Sóspite Matre.

Tum duces magnos celebremus omnes,
Milites æquè intrepidos, bonosque,
Queis feros sævis superare pugnis
Cóntigit hostes.

Hos satis dígnos habeamus amplis
Præmiis: certò meruêre; quorum
In dies crescat, volitetque latum
Fama per Orbem.

Sed Ducem fortem, pariterque Clarum
Laude majori celebremus illum,
Qui pius, prudens, validúsque *Victor*
Iure vocatur.

Huic dari pulchrum, speciale munus
Debet in primis, bene quod merêtur.
Vivat, optemus, duo sæcla foelix,
Pace fruendo.

Militet quisquis decoratus armis,
Sumat exemplum, memor ac virorum
Talium, campis imitetur ipsos
Péctore forti.

Voce submissa Dóminum rogemus,
Pace nos donet stabili, perenni;
Voce pergrata, resonâ canamus
Hoc breve Carmen:

Summe Rex Coeli, dator ac bonorum
Omnium, nobis venerande semper,
Libera Hispanos miserans ab omni
Clade, malísque.

ARUNDÆ: EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ANGELI MORETI.